



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Potestatibvs, Consvlibvs, & populis civitatum Lombardiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

condignam auctore Domino faciemus inviolabiliter observari. Datum Laterani xvi. Kal. Februarij, anno undecimo.

**ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS  
in Theutonia constitutis.**

Epist. 181.  
Vide supra  
epist. 178.

**C**um olim ex officij nostri debito de pace in imperio reformanda sollicitudo nos indefessa pulsaret, de cuius scissura ipsi non tantum imperio, verum etiam orbi penè toti grave periculum imminerebat, consilium nobis incidit ut per Legatos nostros de matrimonio contrahendo inter carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum & inclitæ recordationis Philippi Ducis Sueviæ primogenitam tractaretur. Postmodum autem eodem Duce à filio Bealial nequiter interfecto, cum adhuc de scissuræ periculo non minus quam antea timeretur, præfato Regi nostras litteras destinavimus ut ad consummationem huiusmodi matrimonij securè procederet si sibi cognosceret expedire. Interim autem, cum jam Domino imperante ventis & mari tranquillitas redire cepisset, & redeuntibus ad eorundem Regi fideliter adherentibus, de pace spes firmior haberetur, idem Rex per suas à nobis litteras postulavit ut eum inter ipsum & memoratam puellam lineam consanguinitatis existeret, super eorum dispensatione conjugio dignaremur. Cui nos meminimus respondisse quod licet necessitas dispensandi jam ex magna parte cessasset, super hoc tamen vicem nostram nostris eramus commissuri Legatis quos pro causis Ecclesiæ ac imperij disponebamus ad ejus præsentiam in proximo destinare. Quia igitur dictus Rex super dispensatione matrimonij prælibati, quod dicitur jam jurasse, nobis iterum cum multa instantia supplicavit, forsitan prudenter intelligens per præmissum consilium, in quo nulla de consanguinitatis linea mentio habebatur, non esse super consanguinitatis linea dispensatum sed hoc sibi consultum ut ad matrimonij consummationem procederet legitime quidem, dispensatione videlicet præobtentâ, ut sic & quantum ad conscientiam & quantum etiam ad Ecclesiam matrimonium ipsum legitimum haberetur, venerabili fratri nostro Hugolino Ostiensis Episcopo & dilecto filio Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero Cardinali apostolicæ sedis Legatis dedimus in præceptis ut inquisita & cognita veritate, siurgens necessitas & evidens utilitas pro pace in imperio reformanda huiusmodi matrimonium contrahi postularint, ipsi auctoritate nostra suffulti super illo contrahendo dispensent. Nos autem quod ab eis super hoc providè factum fuerit ratum habebimus, & decernimus illud inviolabiliter observandum. Datum Laterani xvi. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

**HUGOLINO OSTIENSI EPISCOPO  
& Leoni tituli sanctæ crucis Presbytero  
Cardinali apostolicæ sedis Legatis.**

Epist. 182.

**C**um olim ex officij nostri debito &c. in eundem modum ut in alia usque legitimum haberetur, discretioni vestræ per apostolica

scripta præcipiendo mandamus quatenus inquisita & cognita veritate, siurgens necessitas & evidens utilitas pro pace in imperio reformanda huiusmodi matrimonium contrahi postularint, vos auctoritate nostra suffulti super illo contrahendo dispensare curetis. Nos autem quod à vobis super hoc providè factum fuerit ratum habebimus, & decernimus illud inviolabiliter observandum. Datum ut supra.

**E I S D E M.**

**P**lenam gerentes de vestra discretione fiduciam, negotium Papembergenis Episcopi sub hac forma duximus committendum ut si super nece claræ memoriæ Philippi Ducis Sueviæ, accusatore contra eum legitimo comparente, culpabilis coram vobis fuerit comprobatus, vos eum sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo ab omni officio & beneficio ecclesiastico deponatis. Alioquin indicatis ei purgationem canonicam, in qua si fortè defecerit, eadem ipsum censura damnetis. Quod si legitime se purgaverit, denuntiatis eum super objecto crimine penitus innocentem. Ante omnia providentes, ut si quid contra eum vel ejus Ecclesiam est perperam attentatum, in statum debitum revocetur. Datum ut supra in altera.

**MAGDEBURGENSI ARCHIEPISCOPO.**

**F**irmam gerimus de tua sinceritate fiduciam ut nostrum desideres beneplacitum adimplere, cum & nos ad tuum profectum efficaciter intendamus. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus ad ea feliciter promovenda quæ venerabilis frater noster Hugolinus Ostiensis Episcopus & dilectus filius Leo tituli sanctæ crucis Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legati tibi ex parte nostra suggesterint diligens studium & operam efficacem impendas; ita quod in iis tuam devotionem experti, grata tibi debeamus vicissitudine respondere. Datum Laterani xvi. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

**POTESTATIBVS, CONSVLIBVS,  
& populis civitatum Lombardiæ.**

**Q**uemadmodum vultis ut carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus jura vestra vobis integra & illæsa conservet, ita vos sibi debetis imperij jura illæsa & integra conservare; ad quæ utrinque servanda nos, qui summi mediatoris, licet indigni, locum obtinemus in terris, tam ipsum quam vos debemus inducere studio diligenti. Cum igitur idem Rex venerabilem fratrem nostrum Vvalterum Patriarcham Aquileiensem Legatum statuerit in Italia pro negotiis imperij procurandis, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus ei super iis quæ ad jus imperij pertinere noscuntur efficaciter intendatis; ut sicut pro ipso apud vos interponimus partes nostras, ita, si necessitas postulaverit, pro vobis apud ipsum partes nostras interponere debeamus. Datum Laterani v. Kal. Martij, pontificatus nostri anno xxi.

Epist. 183.  
Vide supra  
epist. 139. &  
lib. 11. epist.  
110.

Epist. 184.

Epist. 185.